



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Leges Ecclesiasticae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

partim innouanda curauit. Ac quoniam temeritatis videatur ex suis ipsius decretis quemquam plura literarum monumentis consignare, tum etiam incertum sit qualem apud posteros habitura sint fidem quæ nos magni facimus: quæcumque in actis Inæ gentilis mei, Offæ Merciorum regis, vel Ethelberti ( qui primus Anglorum sacro tinctus est baptismo ) obseruatu digna deprehendi, ea collegi omnia, reliqua plane omisi. Atque in istis discernendis, ego Aluredus occidentalium Saxonum rex, prudentissimorum e nostris consilio usus sum, atque iis omnibus placuit edici eorum obseruationem.

Quos secutus sit.

LEGES ECCLESIASTICÆ

ALVREDI MAGNI REGIS ANGLORVM

e ciuilibus suis aliis decerpta.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- |   |   |
|---|---|
| I. De iureiurando & pignore. Ll. Sax. cap. 1.                 | XI. De eo qui monacho nummum concrediderit. Ll. Sax. cap. 20.       |
| II. De immunitate templi. Ll. Sax. cap. 2.                    | XII. De sacerdotum pugna. Ll. Sax. cap. 21.                         |
| III. De fideiussione violata. Ll. Sax. cap. 3.                | XIII. De stupro. Ll. Sax. cap. 25.                                  |
| IV. De sacrarum ædium immunitate. Ll. Sax. cap. 5.            | XIV. De eo qui se religione obstringit. Ll. Sax. cap. 29.           |
| V. De sacrilegio. Ll. Sax. cap. 6.                            | XV. De pugna coram senatore, vel sacerdote regio. Ll. Sax. cap. 34. |
| VI. De iis qui moniales e templis rapuerint. Ll. Sax. cap. 8. | XVI. De pace violata in vrbe regia. Ll. Sax. cap. 36.               |
| VII. De fornicantibus. Ll. Sax. cap. 10.                      | XVII. De terra ex scripto possessa. Ll. Sax. cap. 37.               |
| VIII. . . . . Ll. Sax. cap. 11.                               | XVIII. De diebus festis & solennibus. Ll. Sax. cap. 39.             |
| IX. De pugna. Ll. Sax. cap. 15.                               |   |
| X. De eo qui monialem contrectarit. Ll. Sax. cap. 18.         |   |

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

**I**n primis ( vt quidem est apprime necessarium ) iurifurandi, & dati pignoris religionem, omnibus studiose ac diligenter curandam proponimus : tum si quis necessitate coactus iurauerit, pignusve posuerit, quo is ad infidias domino suo parandas, vel ad opem iniuste cuius afferen-

dam astringatur, resiliat potius, quam cœpto insistat suademus. At si sponderit quod iuste & legitime præstare poterit, neque præstiterit, arma fortunaque suas omnes amicorum fidei concredito, ipse in custodiam regiam 40. dies mittitor, subiturus id supplicii quod ei episcopus pro meritis imposuerit. Hic si ex proprio non habuerit quod edat, cognati ei cibum suppeditant. Sin etiam cognati (si quos habuerit) eius victui suppeditando impares fuerint, ipsum præpositus regius sustentato. Atqui si ad armorum deditioem vi vinculisque constrictus perpellatur, armis & rebus suis omnibus mulctator: & si contumaciter resistendo mortem occubuerit, solutio æstimationis capitis eius non esto. Sin fugam agitarit, fugientemque anteverterint, 40. dies in carcerem (vt quidem antea fieri oportuit) coniiçitor. Verum si fuga elapsus fuerit, ab omni legis patrocinio destitutus habetor, atque in omnibus Christi ecclesiis anathema esto. Quod si quisquam alius pro eo fidem dederit, pœnas fideiussionis violatæ dato, & fidei læsæ supplicium quod ei fuerit a sacerdote imperatum subito.

## II.

Criminis cuiuscumque noxius (si quidem id villam regis, aut familiam honoratam aliquam non attingat) si ad fanum confugerit, tres noctes quibus salutis suæ prospiciat (ni interim in gratiam redierit) ibi maneto. Ac si quis eum per id temporis plagarum, vincolorum, aut vulnerum metu profligarit, mulctæ, vel ipsa capitis æstimatione, prout eius gentis feret consuetudo, noxiam omnium sarcito: fani porro ædituis 120. solidorum numeratione pacis ecclesiæ violatæ pœnas luito.

## III.

Qui fideiussionem regi oblatam violarit, noxiam prout æquum fuerit sarcito, & ipsa fideiussionis violatio quinque libris Merciorum denariorum pensator. Violatio fideiussionis aut pacis archiepiscopo datæ, 3. libris æstimator: episcopis aut senatoribus, duarum librarum censetor.

## IV.

Vnicuique porro templo religiose ab episcopo consecrato hanc pacem concedimus. Si quis alteri inimicatur, isque templi suffugium implorarit, per septem dies a nemine abstrahitor, si quidem præ fame viuere possit, &  
viam

viam vi non aperuerit. Qui fecus fecerit, violationis pacis regis & ecclesiæ tenetor, & criminis etiam grauioris, si quid inde rapuerit. Quin si ædituis magnopere fuerit illo loco vtendum, illum alia in domo quæ plura non habeat ostia quam ipsum templum inclusum curanto, fanoque præpositus ei interim cibus ne suppediretur videto. Verumtamen si is in ditionem aduersariorum arma sua dedere voluerit, 30. diebus incolumem illi eum custodiunto, & tum demum cognatorum in manus tradunto. Porro autem hoc pacis beneficio ecclesiæ fruitor. Si quis commissi alicuius maleficii, prius tamen non patefacti confcius, ad templum confugerit, idemque in Dei nomine fassus fuerit, dimidium mulctæ ei remittitor.

V.

Qui in templo quid clepserit, simplicem rei surreptæ valorem soluito, mulctam precio rei congruam pendito, & manus quacum furatus est ei præciditor. Qui si manum precio redimere voluerit, idque ei concedatur, proprii capitis æstimatione data id facito. Qui die dominico, festo natiuitatis Domini, aut paschatis sacrosancto Iouis die, aut diebus lustrationis, furtum admiserit, perinde ac si tempore quadragesimæ id flagitii perpetrasset, duplo noxiam sarcito.

VI.

Qui monialem de cœnobio citra bonam regis aut episcopi veniam eduxerit, 120. solidos numerato, quorum 60. regi dantor, residui episcopo & ipso cœnobii præfecto. Femina vero & infans, si quem procrearit, etsi raptore mortuo superstites fuerint, omni tamen fortunarum eius parte excidunt. Infans porro si quando occidatur, eam æstimationis capitis partem quæ ad maternam cognationem spectabit rex habeto, paterni vero consanguinei propriam ipsorum partem consequuntor.

VII.

Si quis vxorem viri 1200. solidis æstimati pellexerit, dato eo nomine eius viro 120. solidos. Si cum vxore hominis qui 600. censetur solidis fornicetur, pendito solidos centum. Si quis cum vxore hominis pagani rem habuerit,

40. solidos soluto. Atque solutio hæc tota, pecude præstanda est: homo tamen propterea ne venditor.

## VIII.

Qui mamillas vxoris viri cuiuscumque pagani manu tractarit petulanti, feminae solidos sex numerato. Eam si is humi prostrarit, nec tamen cum illa rem habuerit, 10. solidos pendito. Sin cum ea coierit, 60. solidorum poena esto. Et si quis alius eam prius adulteratus est, 30. tamen solidis noxiam sarcito. Is porro si propterea in ius vocetur, aut pro ratione 60. hydarum criminationem diluito, aut multa partem dimidiam pendito. Illud ipsum si mulieri illustriori familia oriunda contigerit, multa (prout eius fuerit capitis aestimatio) augetor.

## IX.

Qui præsentem archiepiscopo dimicarit, ferrumve destrinxerit, 150. solidis multator: sin præsentem episcopo aut senatore pugnatum fuerit, 100. solidis culpa pensator.

## X.

Qui monialis vestem, aut illius vbera inuitæ manu tractarit petulanti, quod ei qui feminam plebeiam contrectarit imperauimus, id duplum præstato.

## XI.

Si quis monacho citra bonam cœnobiarchæ veniam pecuniam concrediderit, eaque funditus perierit, illius damno sit qui commisit.

## XII.

Sacerdos si quempiam interfecerit, eorum omnium quæ ope domicilii fretus acquisierit, confiscatio sequitur; eumque gradu spoliatum episcopus e fano pellito, ni dominus data capitis aestimatione veniam illi exorarit.

## XIII.

Qui per vim pagani hominis ancillam stuprarit, pagano solidos sexos numerato, & 60. præterea solidis multator. Seruus si seruulam stuprarit, virga virilis ei præcidiator. Qui teneræ ætatis virginem stuprarit, eadem lege tenetor qua is qui adultam compresserit.

## XIV.

Si quis Deo sese religione obstrinxerit, eumque alius criminetur, eorum aliquid quæ nuncuparat non perfoluit.

se, ipse primus in quatuor templis eius rei fidem iureiurando firmato, tum alter (si se criminis suspicione liberare voluerit) in duodecim templis id facito.

XV.

Si quis coram senatore regio in frequenti plebis concione dimicarit, tum capitis æstimationem, tum multam, prout æquum fuerit, præstato: & senatori 120. solidos numerato. Qui coactam populi concionem armorum extractione commouerit, dato senatori 120. solidos. Hoc ipsum si præsentem alio quocumque in locum eius substituto, aut coram sacerdote regio euenerit, 30. solidis culpa pensator.

XVI.

Pacis in vrbe regia violatæ pœna 120. solidorum esto: in vrbe archiepiscopi 90. solidorum: in vrbe episcopi aut senatoris, 60. solidorum censeatur. Pacis violatio in villa hominis 1200. solidis æstimati, 30. solidis pensator in villa eius qui 600. censeatur solidis, 15. solidorum solutione sarcitor. Qui pagani sepem perruperit, 5. solidis multator. Si tale quidpiam in profectioe militari, aut tempore quadragesimæ delinquitur, duplo compensator. Qui tempore quadragesimæ velum sacrosanctum venia non impetrata coram auulserit, 120. solidos dato.

Quadragesima.

XVII.

Qui terram habuerit per scripturæ seriem sibi a maioribus relictam, ab heredibus ad alios alienandi potestas ei non esto, si quidem præsentibus cognatis coram rege, aut episcopo, scriptura aut testimonio probetur, omni alienatione ei interdixisse illum qui prius concessit, talemque ei imposuisse legem cum primo dederit.

Prisca episcopi reuerentia.

XVIII.

Hisce diebus sequentibus festa liberis & ingenuis omnibus licentia conceditor: seruis autem atque iis qui sunt legitima officiorum seruitute obligati, non item. Duodecim dies a festo natali Domini. Dies ille quo Christus subegit diabolium. Dies quo agitur anniuersarius beati Gregorii festus. Dies ante festum paschatis septem, & totidem dies festum illud insequentes. Dies festus beatorum Petri & Pauli. In autumno integra quæ est ante festum Mariæ septimana. Dies festus omnium sanctorum.

Concil. Tom. 24.

Zzz ij

Quatuor autem diebus mercurialibus in quatuor illis septimanis quibus publicum edici solet ieiunium, seruis omnibus festa dator licentia, vt omnem eorum operam in illorum infumant vtilitatem, a quibus antehac in Dei nomine beneficia acceperint, aut de quibus in posterum ex collocata eorum opera bene promereantur.

ANTIQA VERSIO ISTARVM  
ALVREDI MAGNI LEGVM,  
IUXTA REGII CODICIS ET IORNALENSIS  
manuscriptorum exemplaria.

Iornalensem hic secuti sumus, quod capitum titulos exhibet, qui in regio desiderantur: regii tamen varietates in interiori margine annotauimus.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM  
SECVNDVM IORNALENSEM.

- |   |   |
|---|---|
| I. <i>De iureiurando &amp; vadiis.</i> Ll. Sax. cap. 1. & Iorn. cap. 1.         | Sax. cap. 18. Iorn. 20.   |
| II. <i>De confugio ad ecclesiam.</i> Ll. Sax. cap. 2. Iorn. 2.                  | XII. <i>De pecunia commissa monacho.</i> Ll. Sax. cap. 20. Iorn. 23.                |
| III. <i>De infractione plegii regis vel episcopi.</i> Ll. Sax. cap. 3. Iorn. 3. | XIII. <i>De presbytero homicida.</i> Ll. Sax. cap. 21. Iorn. 24.                    |
| IV. <i>De pace ecclesiarum &amp; earum libertate.</i> Ll. Sax. cap. 5. Iorn. 5. | XIV. <i>De violento concubitu femine villana.</i> Ll. Sax. cap. 25. Iorn. 28.       |
| V. <i>De furatis die festo.</i> Ll. Sax. cap. 6. Iorn. 6.                       | XV. <i>De seruo qui seruam violenter cogat.</i> Ll. Sax. cap. 25. Iorn. 29.         |
| VI. <i>De furatis in ecclesia.</i> Ll. Sax. cap. 6. Iorn. 7.                    | XVI. <i>De [ Dei ] plegio violato.</i> Ll. Sax. cap. 29. Iorn. 36.                  |
| VII. <i>De ducente sanctimoniam ab ecclesia.</i> Ll. Sax. cap. 8. Iorn. 9.      | XVII. <i>De fractura borgi regis vel archiepiscopi.</i> Ll. Sax. cap. 36. Iorn. 44. |
| VIII. <i>De sponsa fornicata.</i> Ll. Ll. Sax. cap. 10. Iorn. 12.               | XVIII. <i>De fractione sepis rustici.</i> Ll. Sax. cap. 36. Iorn. 45.               |
| IX. <i>De iniuria cyrilisca femine.</i> Ll. Sax. cap. 11. Iorn. 13.             | XIX. <i>De velo in quadragesima iniuste deposito.</i> Ll. Sax. cap. 36. Iorn. 46.   |
| X. <i>De illis qui pugnant coram archiepiscopo.</i> Ll. Sax. cap. 15. Iorn. 17. | XX. <i>De festiuitatum obseruatione.</i> Ll. Sax. cap. 39. Iorn. 50.                |
| XI. <i>De apprehensione nunnae.</i> Ll.   |   |